



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. De opinione speculativè, & practicè probabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

munitur recepta, admittunt Jesuitæ ferè omnes cum Suarez. Ceterum F. Vincentius Baronius, ex præclarissimo Prædicatorum Ordine, in libro nuper edito, cui titulus est *Manuductio ad moralem Theologiam pars altera*, in qua D. Thomas vera mens de singulis vite humanæ, & Christianæ officiis, inter rigidas, & laxiores opiniones, media defenditur, contra Amadæum Guimerium, totus est in hac definitione opinionis probabilis evellenda: idèdque in eximium Doctorem Franciscum Suarez disput. 1. sect. 1. §. 4. fol. 33. Sic invehitur. * Primum fundamentum totius questionis, nempe ad conciliandam opinionum probabilitatem, duas ex Suarez conditiones requirit, ut scilicet nil contra illam convincens afferatur, deindè ut primo aliquo nitatur fundamento. Mihi omnino suspecta est utraque conditio. Imò prima absolute falsa est: nam si opinio non desinat esse probabilis, nisi contra se habeat aliquid convincens, in tuto erunt opiniones contra immortalitatem animæ, contra originem mundi è nihilo, aliasque fidei veritates, quæ cum ex Caramuele, & Nominalibus demonstrari nequeant, nil convincens afferri potest contra opiniones ipsas adversas; ac proindè, si fieri prima conditio, verè probabiles erunt, & tutæ. * Hactenus Baronius, qui similia intorserat contra Caramuelem in opere contra illum inscripto, *Theologia Moralis adversus laxiores probabilistas*, p. 1. disp. 2. sect. 1. exam. 2. epist. Caram. art. 2. §. 2.

3. Ceterum huic objectioni satis occurritur explicatione illius primæ conditionis, prout à Fr. Francisco Bonæ Spei, ubi supra cum aliis communiter. Opinio enim Lutheranæ, aut Calvinistæ, & similes ab Ecclesia damnatæ congruis rationibus non innituntur, & habent contra se sacram Scripturam, Ecclesiæ definitionem, & Patrum consensum. Undè his, & aliis factis deficient conditiones, ad probabilitatem requisitæ: & in hoc sensu verè dicitur, quod aliquid convincens contra se habeant, quia nomine demonstrationis, ut explicat Caramuel loco à Baronio citato, totum intelligitur * conclusio syllogismi, cuius utraque præmissa ita est certa, ut neutra in dubium, aut questionem probabilem vocari possit. * In hoc inquam sensu, propositio dicitur certa, & indubitata, ut patet ex his, quæ tradit in Apologemate de probabilitate. num. 309. & 311. (ut benè advertit Fr. Franciscus in suo Apologemate retorto, dub. 7. num. 35.) ubi ait * certæ, & indubitatæ præmissæ sunt, de quibus nullus prudenter dubitat, nullus judicat esse improbables. Huc pertinent articuli Fidei, sive veritates determinatæ ab Ecclesia &c. * Hæc Caramuel, quæ benè ponderat Bonæ Spei ubi supra fol. 86. Indè concludens contra Baronium * ista demonstratio Caramuehs fortior est ad convincendos Ethnicos, & impios, quam sit istius auctoris principium: standum scilicet, pro lege contra libertatem. *

4. Probabilitatis duo sunt principia, auctoritas docentis, & ratio, cui nititur. Quæ ab auctoritate proximè desumitur, dicitur probabilitas extrinseca, nam quod viris doctis, & piis videtur, non potest non probabile judicari. Quæ verò rationis pondere, intrinseca vocatur. Hinc opinionem probabilem à principiis intrinsecis nuncupamus, quando rationibus pro utraque parte accuratè perpensis, & nulla evidenti pro altera reperta, uni potius, quam alteri, ex imperio voluntatis determinatum assensum, cum formidine veritatis oppositæ, intellectus præstat. Undè quod fundamentum, seu motivum assentiendi majoris fuerit ponderis, eò major erit intrinseca opinionis probabilitas, sive pro lege, sive pro libertate. Opinio verò probabilior à principis extrin-

secis, seu à loco extrinseco dicitur, quando motivum proximum, & immediatum assentiendi auctoritatis: quando plures, nimirum, qualitate, & numero Doctores, opinio profectus deò movetur ad assensum, quia rebenè inspecta, intellectus optimis rationibus ductos fuisse ad sic opinandum, ut benè notavit Pat. Bardi tract. de consuetudine, 4. cap. 1. num. 2. Quia sine ratione, ita lenis credibile est; aliàs graves, piæ, & docti non essent. Hæc autem rationis motivum ex aliena unitas, vel plurium Doctorem fide, confusè cognitum, est reverè quod intellectum movet ad assensum. Dixi, ex qualitate, & numero Doctorem, majorem sibi extrinsecam probabilitatem opinionem arrogare: quia non tantum antecedentium gregem, pergentes nos quo indagare curavi, nec utriusque partis rationes, & contraria diligenter appendit. Undè pluralitas quandoque Doctorem nil probabilitatis opinionis impedit, cum ea, qua pollet, qualis qualis fuerit, ad unum, in cujus verba jurarunt, reducat. Undè Mag. Sotus lib. 1. de iustit. quest. 6. artic. 6. in fine, primæ conclusionis. Lepidè satis dixit: * Parum ed rem referat, quam sit numerosa citatio, ubi ratio non adhibetur nova. *

5. Sive autem probabilitas opinionis competat à loco intrinseco, qualis communiter erit opinio respectu Doctorem, qui veritatem, appensus fundamentis, indagant; sive ab extrinseco, ut communiter indoctis, & nonnumquam etiam doctis, qui sola auctoritate aliena ducti opinioni assentiunt, parum ad rem facit, quia in ordine ad excusandum à peccato operantem, nullum Doctores continue discrimen: sive enim probabilis sit ab intrinseco, sive ab extrinseco, si probabilis prædictæ erit, eandem illi vim inesse concedunt, quod secus tatem conscientia.

QVÆSTIO II

De opinione speculative, & practice probabilis.

1. **N**on conveniunt Doctores in opinione divisionis opinionis in speculative & practice probabilem Mag. Augustinus in *questionibus moral. de statu civili*, disput. 9. assert. 1. num. 7. inquit, illam esse opinionem probabilem speculative dumtaxat, quæ potest defendi & sustentari cathedra, propterea quod ratione sustentatur, illam verò probabilem practice, quæ est de his, quæ ad mores spectant, & in humanis negotiis ad praxim reduci potest: indeque infert primam, hinc secundam, inveniri posse. Explicat exemplo opinionis Cajetani 3. part. quest. 66. artic. 1. affirmantem valide baptizati sub hac forma: Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedenti ab utroque tamen licet hæc opinio (inquit) speculative probabile sit, non licet in praxi illa forma uti. Quo etiam exemplo utitur Joannes Martinez de Pereda tom. 1. quest. moral. cap. 1. de conscientia, quest. 2. §. 2. num. 7. alius inbndens ex Mag. Joanne à S. Thoma 2. disput. 11. art. 1. (quo itidem Vincentius Baronius, in opere contra Amadæum, rem hanc explicat.) Ut si reverè

probabiliter, imò & probabilius opinetur, in ne-
more esse feram, quam hominem, non licet jacu-
lare ad eam occidendum. Cæterum hæc & similia
exemplum non videntur ad rem: quia alia opinio ver-
satur circa valorem Baptismi, alia circa licitum ejus
usum, & similiter una circa existentiam hominis,
vel feræ; altera circa jaculationem sagittæ. Et non
est opinio probabilis, quæ asserat, licitum esse
jaculare, quem probabiliter judices esse hominem,
licet probabilius esse feram: nec est opinio affirmans
licitum esse baptizare sub illa forma probabili, omni-
sæ certa, quæ Ecclesiæ utitur. Quando autem vena-
tori sit opinio probabilis, quod atcendæ sui mortis
erit, ad quam jus habet cum periculo alieni damni,
licet sagitta impetere animal, quod probabilius,
aut æquè probabiliter feram, ac hominem reputat
ex gravi, & probabili dubio, ne quod sibi appa-
ret, ut ille sit, aut latro, qui in se insurgant, nisi illos
occupet. Tunc sagittam ex arcu emitte, à pec-
cato immune Baronius ipse fatetur, ubi infra disputat.
1. s. 1. fol. 47. Hoc igitur exemplo Authores citati
adducuntur, siquidem quando opinio versatur circa
operationem jaculandi, opinio speculative probabi-
lis, practice etiam probabilis est.

2. Difficultas ergo solum est, an quando opinio
speculativo modo versatur circa operationem, verb.
grat. Sit necne licitus hic contractus? Stare possit,
intellectum probab. licet judicare absolute, & se-
cundum felicitatem esse, & tamen non esse probabile
practice, quod illum celebrare liceat? Cui diffi-
cultati affirmativè respondendum est; quia opinio
speculative probabilis est, quæ in commu-
ni, præciscendo à circumstantiis, quæ in praxi
occurrere possunt, dicat, talem contractum lici-
tum esse. Practice verò probabilis, quando dicta-
men conscientie ultimo applicans voluntatem ad
operandum, perpenis omnibus circumstantiis, ju-
dicat, hic, & nunc licitum esse operari. Certissimum
autem est, posse contingere, intellectum judicare
in communi, contractum aliquem, ejus natura
considerata, licitum esse, & tamen, attentis cir-
cumstantiis concurrentibus, nequire, juxta dicta-
men practicum prudentiæ, licet celebrari; vel pro-
pter legis humanæ prohibitionem, vel propter scan-
dalum, vel quia in grave aliorum præjudicium cedit,
&c. Quapropter negari non potest, opinionem illam
asserentem contractum esse licitum, præciscendo
à circumstantiis probabilem esse speculative, non
verò practice, quia deficit dictamen prudentiæ ad
operandum requisitum. Ut enim ad praxim devenia-
tur, alie circumstantiæ considerari debent, quæ in
speculationem illam non venerunt. Idquæ solum in-
tendunt Doctores asserentes, non omnes opiniones
circa actiones humanas speculative probabiles, esse
practice probabiles: plus enim exigitur ad probabi-
litatem practicam, quam ad speculativam, quia po-
test adesse ratio probabilis speculativa, & tamen,
quia hic, & nunc adest aliquid inconveniens, quod
in speculativam considerationem non venit, non
debet, ut debet, practicum dictamen ad licitè ope-
randum. Sic & bene explicant Mag. s. Joann. à S.
Thom. 1. 2. disputat. 13. artic. 3. §. Primum ergo. Ma-
g. s. Prado ubi supra, num. 13. Thom. Hurtado tom.
2. resolut. moral. tractat. 10. cap. 3. numer. 27. &
alii. Quibus convenit Vincentius Baronius 2. part.
Manuduct. disputat. 1. sect. 1. art. 2. §. 5. fol. 46. dicens:
Probabile practice à probabili speculative distin-
guatur, ex circumstantiis adjunctis, quas probabile
excludit, attentis solum rei principis. Probabile

Part. 11.

verò practicum porrigitur ad quascunque rei, de
qua opinamur, accidentarias circumstantias. Sic ille:
& bene quidem.

3. Igitur si in considerationem speculativam om-
nes circumstantiæ, & inconvenientiæ, quæ in praxi
postea occurrunt, deveniunt, & tamen intellectus
speculativo modo procedens, omnibus pensatis, ju-
dicaverit, contractum esse licitum, implicabit om-
nino opinionem speculative probabilem, non esse
probabilem practice, quia nil de novo occurrit,
quod judicium practicum discordare ab speculati-
vo, efficere possit: ut bene advertit Thomas San-
chez libr. 2. de Matrimon. disputat. 41. num. 5. ubi sic:
*Observandum tamen est, ex opinione speculativa,
quàm quis habet, teneri simile judicium practicum
formare, ut si speculative, & in communi sciatur (vel
opinetur) aliquid esse usuram, teneatur practice, &
hic, & nunc idem scire, (vel opinari) nisi aliquid ra-
tio specialis cogat, &c. Quia cognitio speculativa
dirigit voluntatem ad opus: ergo tale debet esse
judicium practicum, quale est speculativum. * In
hoc sensu opinionem speculative probabilem,
esse etiam probabilem practice, tradit Joan-
nes Sanchez in Selectis, disputat. 44. numer. 63. &
disputat. 54. numer. 11. dicens: *Imperceptibile esse,
aliquam opinionem esse speculative probabilem,
(modo scilicet supra explicato) & in praxi tuto am-
plexari non posse. Quem sequuntur M. Serra 1. 2.
quæst. 19. art. 6. dub. 4. §. Docent etiam. Francisc. de
Lugo cap. 3. quæst. 4. Leander à Sacram. Spinola,
Joann. Hentiq. Narbon. Averla Machado, & plu-
res alii apud Dian. 2. p. tract. 13. resolut. 5. & 12. & p. 9.
tract. 6. Miscel. Resolut. 21. & p. 10. tract. 11. resolut. 47. §. nota
verò. Dominus Caramuel in Apologemate Epist. 4.
num. 140. & strictius alii speculativam probabilita-
tem negant opinioni, si practice etiam probabilis
non sit. Quos sequitur M. Hyacinthus Donatus, ex
Ordine Prædicatorum tom. 4. Additionum ad practi-
cam, tract. 12. var. res. quæst. 38. Ubi sic (An omnis
opinio speculative probabilis, sit etiam practice
probabilis? Negant Granado Suarez, Garcia, San-
chez Merola & alii plures. Oppositum tamen, quod
exstimo de jure verius, docent Joann. Sancius, Pas-
qualigus, Pellizarius, &c.) & infra num. 5. (Quod si
opinio speculative probabilis nequit ad praxim re-
duci ob aliquam legem sibi resistentem, vel ob ali-
quod inconveniens ex praxi opinionis oriturum,
(attende) signum est, quod neque sit speculative
verè probabilis, quamvis tale inconveniens in esse
speculativo non cognoscatur. Quandoquidem non
potest homo operari, secundum probabilitatem
speculativam, nisi applicet tale judicium ad mensu-
randam, & dirigendam operationem, secundum re-
gulas rectæ rationis, quod ex usu, & praxi talis opi-
nionis, nemini sit injuria, nullum emanat exinde
inconveniens nulliusve conscientia læditur.) Hæc
Mag. Donatus, quibus rem magis explicat.

4. Hinc jam amice Lector, magis miraberis Vin-
centii Baronii autum, in opere contra Amadeum 2.
part. Man. disputat. 1. sect. 2. §. 3. fol. 167. Ubi hunc
Auctorem, vel ex eo, quod prædictam opinionem
referat, sic carpit. (Quoad illam consequentiam
ab opinione speculative probabili, ad practice tu-
tam, tantum abest esse necessariam, aut probabilem,
ut falsissimam & periculosissimam esse, atque A-
theismum invehere, multis locis, & argumen-
tis demonstratum sit, superioribus dispu-
tationibus,) sic ille. Quem doleo in dome-

O 3

licos,

sticos, ita exarsisse, cum in vero, & legitimo sensu juxta superius dicta, eos exponere potuisset. Præterquam quod, ut non nemo bene notavit; si intercurrant in praxi novæ circumstantiæ, quæ non fuerunt consideratæ speculative, alius casus in speculatione proponitur, & alius exercetur in praxi. Variato autem casu, quid mirum sententias discordare, sicut & invariato non discrepare; cum probabilitas, quæ est in praxi, sit eademmet numero probabilitas, quæ est in speculatione, omnibus circumstantiis consideratis, ut concedit ipse Baronius verbis ex illo datis, num 2. Qua solum ratione, ab opinione speculative probabilis, ad practicè probabilem, consecutionem necessariam Doctores citati nos edocent, quibus ipse dissentire non potest.

Q V Æ S T I O III.

Utrum unicus gravis Doctor possit sibi opinionem probabilem efficere?

I. **P**ars affirmativa omnino tenenda videtur, si vir doctus sit, & prudens, & in Theologia morali, nō parum versatus, qui proinde principia ab auctoritate, & à ratione, pro contraria, & communē sententiā adducta, expendere, & argumenta probabiliter dissolvere possit. Ratio est, quia eorum, quæ ad mores pertinent, & nec Ecclesiæ definitione, vel traditione, nec aliquo decreto Pontificio nobis constar, ratione naturali veritas adquirenda est. Ergo si vir doctus nova in aliquâ ab aliis non excogitatam adeo efficacem invenerit, ut in assensum determinatum partis contrariæ vehementer ferat, ex ejusque videribus solutionem congruam, & probabilem argumentis contrariæ adhibeat, quibus nulla ductus novitas affectatione, nec vanæ gloriæ appetitu, suam sententiam probabiliorē contrariæ censeat, non est, cur illam, sicut & alias quæ inter Doctores probatæ auctoritatis probabiliores communiter habentur, licet, & laudabiliter sequi non possit. Itemque similiter dicendum, si ratio, cui communis sententia innititur, & quæ aditum probabilitati contrariæ, usque modo præcludebat, ad trutinā ab uno viro docto vocata minoris ponderis inveniat; eo quod à magno aliquo Doctore primo excogitata, ab aliis, qui in ejus verba jurarunt, subscripserunt; & ex eisdem fundamentis, & motivis, quasi veritatem inconcussam potius supposuerunt, quam probant. Si ergo Doctor alius, omnibus expensis, probabilis tantum fundamento contrariam, & communem sententiam innixam invenerit, rectè poterit, contra omnes, qui præcesserunt, opinionem propriam probabiliorē, aut saltem probabilem judicare, & ad praxim deducere.

II. Urgetur, quia nisi temerè, dici non potest; plures opiniones novas, quas D. Thom. contra omnes, qui ipsum præcesserunt scriptores, invenit, non fuisse ipsi sufficienter probabiles, ut ad praxim reducere possit. Et similiter, quas D. Bonav. quas Scot. quas Cajetan. & alii viri Doctissimi validis rationibus comprobant, & ut probabiliores in Scholas induxerunt.

3. Confirmatur, quia si ab his, & similibus Doctoribus, & Theologiæ morali magistris, de

novo à se inventæ opiniones tales censerentur, ut ipsi absque lethali non possent illas (æque periculose, abique gravissimo scandali peccato, alioquin excusasse, nec consiluisse, minisque typis mandasse, utpote occasione spiritualis ruinæ illis prætextante. Est ergo evidens, virum doctum, prudentem, & in Theologia morali versatum, posse post diligentem contrariæ, & communis sententiæ fundamentorum discussionem, novam, & singularem sententiam contra omnes probabilem practicè libere, & juxta illam consilium præbere. Alias nullatenus, opiniones modo antiquæ, novæ fuissent, aut ejus inventores graviter in eorum evulgatione peccassent, donec aliorum consensum accessissent; quod dici non potest, necesse enim est aliquem sine ulla in opinionem incidisse. Nec mirum, quod opinionem novam non raro prodeant ab aliis Doctoribus non excogitata; ut ait M. Bannez 2.2. quæst. 2. art. 5. dub. 4. §. ad argum. (Ad primum, quod erat ex auctoritate Doctorum. Respondetur, quod in rebus moralibus obscuris, & difficillimis decidendis, non mirum est, si alicui viro docto sese offerat aliqua nova ratio, ut opinetur contra communem sententiam, merito, & non temerariè, & isto modo sunt introductæ plurimæ opiniones contrariæ aliis, quæ solebant esse communes.)

4. Probatur secundo. Quia doctrinæ moralis, etiam ab omnibus Doctoribus unanimi consensu conditæ, non sunt evidentes (licet suis defensorum quandoque tales appareant) plerumque enim probabiliores tantum sunt; quæ tamen ut indubitata supponuntur propter rerum inevidentiam, & imbecillitatem. Ergo vir doctus in Theologia Scholastica, & morali maxime versatus, intelligentiam hanc cognoscere poterit, & contrariæ sententiæ probabilitatem ostendere. Præcipue, quæ ut ait Glossa in cap. ad nostram, de consuetudine, rationem revelatur nūmori, quod major nescit, & ut ait Quiljet, 2.2. quæst. 141. art. 4. §. ad primum, (male cum humano ingenio actum esset, si nescire possemus, nisi quod Aristoteles dixit.) Et bene quidem, nam ut scripsit Quintilianus lib. 10. institutionum Oratorum cap. 20.) Pigrum est ingenii contentum esse his, quæ ab aliis inventa sunt. Quid futurum erat temporibus illis, qui sine exemplo fuerunt? Denique probat M. Joannes Martinez de Prado, quia probabilis opinionum intrinseca, nulla præ humana Doctorum auctoritate tolli potest, eo quod vel pro se habitationem probabilem, vel textum, ex quo probabiliter inferitur, ideoque dum nil in contrarium indicitur: (Nec evidens, inquit, adducatur ratio, quæ convincat esse falsam, semper manet probabilis.) Sæpè autem contingit, opinionem ab uno solo Doctore assertam omnia hæc convenire. Non ergo est probabilitas negari illi debeat. Ideo hanc sententiam communem esse credo Doctorum. Quæ sequuntur Vazquez 1.2. disp. 62. cap. 2. M. Joann. de Thom. 1.2. disp. 18. art. 3. §. si vero. Mag. Serra quæst. 1. art. 6. lib. 4. §. Si querat. Mag. Joann. Martinez de Prado tom. 1. quæst. moral. cap. 1. quæst. 2. §. 3. & plures apud illum.